

monuisse frustra neque eum potuisse umquam ab hac me <sup>20</sup>  
expellere ;

quod tamēn nunc faciam ; tum quom gratum mi esse potuit  
nolui.

nemost miseror me. *SY.* hic de nostris verbis errat vidē-  
licet

quae hic sumu' locuti. Clinia, aliter tuom amorem atque  
est accipis :

<sup>265</sup> nam et vitast eadem et animu' te erga idem ac fuit,  
quantum ex ipsa re coniecturam fecimus.

<sup>25</sup>

*CLIN.* quid ēst obsecro ? nam mihi nunc nil rerum om-  
niumst

quod malim quam me hoc falso suspicarier.

*SY.* hoc primum, ut ne quid hui(u)s rerum ignores : anus,  
<sup>270</sup> quae est dicta mater esse ei ant(e)hac, non fuit ;

ea obiit mortem. hoc ipsa in itinere alterae

<sup>30</sup>

dum narrat forte audivi. *CLIT.* quaenamst altera ?

*SY.* mane : hoc quod coepi primum enarrem, Clitipho :  
post istuc veniam. *CLIT.* propera. *SY.* iam primum  
omnium,

<sup>275</sup> ubi ventum ad aedis est, Dromo pultat fores ;  
anu' quaedam prodit ; haec ubi aperuit ostium,  
continuo hic se coniecit intro, ego consequor ;

<sup>35</sup>

anu' foribus obdit pessulum, ad lanam redit.

hic sciri potuit aut nusquam alibi, Clinia,

<sup>280</sup> quo studio vitam sūām te absente exegerit,  
ubi de improvisost interventum mulieri.

<sup>40</sup>

nam ea res dedit tum existumandi copiam